Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26317
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fuerit diuina magnificencia preparata et patrata et per-
fecta ac consummata merito exultauit in deo salu-
tari suo in ipsis et ex ipsis operibus salutem exhi-
bente et conferente toti mundo. ¶ Spiritus igitur ille
beate virginis in consideracione bonitatis et caritatis ac
suauitatis diuine exhibite et ostense sibi et toti hu-
mano generi in operibus humane reparacionis exul-
tauit .i. extra se et super se saltauit in saltu con-
templacionis ubi conatu nature et eleuacione gracie
et condescensione et approximacione illuminacionis diuine
se ipsius super vim excedens eleuata fuit in admiracionem
et admiracio in contemplacionem / et contemplacio in iu-
bilacionem de magnitudine diuine sapiencie quantum
ad predestinacionis consilium / de quo dicitur Ys. xix.
Consilium tuum antiquum verum fiat / et de magnitu-
dine diuine iusticie / quantum ad equitatis iudicium
de quo dicit Psalmista. In equitate tua viuifica me / et de
magnitudine diuine misericordie / quantum ad salutis et sal-
uacionis beneficium / quod sic dicit Apostolus .i. ad Thymo-
theum. Ut magne pietatis sacramentum manifestatum
est in carne .i. in verbi incarnacione. ¶ Super horum
itaque magnitudine et multitudine ac pulchritu-
dine in eorum numero et pondere ac mensura et modo et
specie ac ordine quo per sapienciam et scienciam dei sola for-
titer quantum ad potenciam et suauiter quantum ad mi-